



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis  
Pars// Prior**

**Jakob <III., Trier, Erzbischof>**

**Avgvstae Treverorum, 1574**

**VD16 A 766**

Instructiones de sponsalibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

## INSTRVCTIONES DE SPONSALIBVS.

- I** Sponsalia nihil aliud vocāt, quàm futurarum nuptiarum promissiones. Nam quando duo per verba de presenti, vt loquuntur, contrahunt, tunc coniuges, non sponsi aut sponsæ, vocantur & sunt.
- II** Quilibet valens contrahere matrimonium potest etiam sponsalia contrahere per se, per nuncium, per procuratorem, parentes, atque quemlibet alium, dummodo consentiant & ratificent hi, quorum nomine contrahunt.
- III** Ante septennium non possunt contrahi, propter defectum rationis, cuius vsus hęc necessarius.
- IIII** Contrahuntur per verba futuri temporis, aliquando simplici promissione, vt accipiam te in vxorem, & è contra: aliquando vero addito iuramento, annuli, arræ, nummique donatione & acceptione.
- V** Cum promissio debitum constituat, absque mortali peccato & perfidia non potest, qui sponsalia contraxit, renuere matrimonij susceptionem, nisi in casibus à iure permisis. In foro tamen contentioso nõ compelluntur ab Ecclesia, quia matrimonia debent esse liberrima, & coacta infelices sæpè fortiuntur exitus. Excommunicati sunt Domini, qui subditos inuitos matrimonia contrahere compellunt.
- VI** Sponsalia quomodo sine peccato soluantur, per religionis approbata ingressum, votum castitatis simplex, superuenientem affinitatē, aut per grauem infirmitatem alteri spondentium accidentem, conditionum violationem, mutuum consensum & absolutionem, hæresim sequentem, aut matrimonium cum alio per verba de presenti. Vide Canones.

### MODVS CELEBRANDI Sponsalia.

Conueniat prius inter sponsum & sponsam, & vtriusque partis amicos, & quando de omnibus iam conuenit, inter eos, ad sit parochus etque aliquis proximorum ad hoc constitutus, vtriusque partis voluntatem declaret.

*Wur*